

# Altera opinio de consuetudine

by Eduardus N. Peters, JD, JCD, Ref. Sig. Ap.  
Sacri Cordis Magnum Seminarium, Detroitensis

Dr. Edward N. Peters, a Foundation Member of the Fellowship of Catholics, holder of the Edmund Cardinal Szoka Chair at Sacred Heart Major Seminary in Detroit, and a Referendary of the Apostolic Signatura.

**H**oc consilium breve offertur in opinionem Margaret Poll Chambers, “Canon 1241, Right of Ownership and Administration of Catholic Cemetery,” 2007 *Roman Replies and CLSA Advisory Opinions*, 92–93. Breviter, abhinc plusquam centum annos, maiores familiae dederunt, in forma sub lege civili valida, agrum episcopo caemeterii catholici instituendi causa. Postmodo, transtulit episcopus agrum parochiae et, annis sequentibus, progenies familiae administravit caemeterium pro aliis pastoribus. Dominium parochiae in caemeterium (olim certe agrum familiae) numquam familia disputavit, sed nuper familia coepit manifestare desiderium cautionis seu promissi administrationis in familiae favorem pro futuro recipiendi. Petivit familia a canonista, utrum adessent argumenta pro familiae positione. Respondit canonista supra citata consuetudinem cum legis vi hac in causa pertinere, quoniam familia administravit caemeterium cum tacita pastorum et episcoporum approbatione per multos annos. Ergo—secundum canonistam—consuetudo cum legis vi orta est.

Timeo ne opinio canonistae in errorem fortasse ceciderit. Censeo consuetudinem posse oriri solummodo per *communitatis* actionem; praeterea, actio communitatis agi debet *cum intentione ipsius* communitatis ligandae. Neutra condicio videtur mihi affirmari hac in causa.

Imprimis, canon 1241 fulcit neque petitionem familiae neque argumentum canonistae, quoniam canon 1241 tantum vindicat ius parochiae ad caemeterium tenendum. Hac in causa, non disputatur ius parochiae super caemeterium. Sed canon 24, quod non invocavit canonista, est majoris momenti in hac disputatione. Statuit canon 25 Quia nulla consuetudo vim legis obtinet, nisi a communitate legis saltem recipiendae capaci cum animo iuris inducendi servata fuerit. Ex canonis verbis, sequuntur duae theses: I) consuetudo est operatio *communitatis*, et II) *intentio* communitatis maioris momenti est.

Scribit D. Augustine Mendonça Quia mera actionis repetitio non creat consuetudinem, nedum creet

consuetudinem cum legis vi [et praeterea] communitas debet adsumere hoc onus *intentionaliter*, id est, cum intentione sese ligandi.<sup>1</sup> Expresse excludat egregius magister *meram repetitionem* tamquam fundamentum consuetudinis; loquitur immo de actu *communitatis*, et non refert doctor de actu *pastoris* vel etiam *episcopi*, quoniam neque pastores, meo iudicio, neque episcopi possint in communitatem *consuetudinem* introducere.

Interpretatio huius magistri non nova est. Exempli gratia, scribens de lege consuetudinis in Codice Pio-Benedictino, D. Stephanus Sipos opinatus est Quia consuetudo significat tum frequentiam actuum similium a communitate vel saltem maiore ejus parte libere cum animo se obligandi aut deobligandi, et cetera. Addidit quoque Doctor Clarissimus Ungariorum Quia consuetudinem inducere potest *communitas*, non autem persona...[et] Requiritur insuper ex parte communitatis, ut consuetudo inducatur *a maiore parte communitatis*.<sup>2</sup>

Simili modo, scripserunt canonistae Abbo et Hannan Quia consuetudo sit repetitio frequens actuum, quae procedat *ex voluntate communitatis liberae* capacientis legem recipiendae.<sup>3</sup> Apud canonistas anglice scribentes de Codice 1917, quis habent honorem maiorem quam John Abbo et Jerome Hannan? Non multi. Equidem, nullum auctoritatem inveni qui approbat introductionem consuetudinis factam *a ductore* communitatis.

Verum est pastores, et a fortiori episcopos, in utilitatis vel necessitatis casu, posse uti altera moda statuendi normas. Sed, ius est solummodo *communitati* consuetudinis introducendae, salvo tantummodo iure auctoritatis competentis *vetandi vel abrogandi* normas novas sic introductas. Hac in causa, *communitas* non egit actionem, et certe non egit actionem communitas cum *intentione* requisita.

Mihi videtur desiderium familiae melius vindicari posse utendo lege praescriptionis, non consuetudinis. Salvo meliori iudicio.

## Endnotes

- <sup>1</sup> “Mere repetition of something does not create a custom, still less a custom with the force of law. The community must adopt this behavior *intentionally*, i.e., intending to bind itself.” G. Sheehy, et al., eds., *The Canon Law: Letter & Spirit* (Liturgical Press, 1995), 23, emphasis originalis.
- <sup>2</sup> Stephanus Sipos, *Enchiridion Iuris Canonici* (Herder, 1954) §16, p. 46, 47, emphasis originalis.
- <sup>3</sup> “Custom [is] . . . the frequent repetition of acts emanating *from the will of a free community* capable of being subject to law.” John Abbo & Jerome Hannan, *The Sacred Canons*, in 2 libris, 2<sup>nd</sup> ed. (Herder, 1960), I:50, emphasis mea.